



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Victoria.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

*Signa mili-  
taria duo  
apud Ro-  
manos.*

**A**puđ Romanos signa militaria, alia Vocalia, alia Muta dicebantur. Vocalia, quæ Imperator Tribuni, Tribuni mox ordinibus dabant, ut scilicet aut noctu, aut in peragendis vigiliis, aut explorationibus obeundis, ac in ipsa quoque interdum acie, cum tumultu omnia confusa essent, ipsi se vicissim noscitant. Muta, variis animalium figuris elaborata præferebantur, sed suum quæque significatum habebant: quippe, ut unum exempli causa ponam, Minotauri effigies tunc extollebatur, cum secreto & tacite rem gerendam admonebantur: ostendebat enim hieroglyphicum id, consilia ducum non minus occulta esse debere, quam fuerit Minotauri sedes, quippe Labyrinthus. Hinc ille sapiens videlicet eorum Imperator Q. Cæcilius Metellus Macedonicus, percontantibus Tribunis quonam exercitum huc illuc agitare: *Si putrem*, respondit, *tunicam meam meorum esse consiliorum consciam; eam altutum abscinderem, combureremq.* Tutissimum enim (ait Vegetius) in expeditionibus creditur, facienda nesciri.

## VICTORIA. CAP. XXXIX.

**M**actatus autem Bos, quales ubique locorum conspiciuntur, victoriæ plurimum, partiq; triumphum signum erat: præfertim apud Romanos, unde Juvenalis hujusmodi significato,

*Duc in Capitolia magnum, Cretatumque Bovem.*

Id vero observatione dignum est, quod Spartiatæ in hoc sacrifici genere diversam à Romanis rationem secuti sunt. Num cum Romani, victoria per hostium sedes parta, Bovem sacrificare consueverint, cum vero sine pugna & sanguine rerum potiti essent, Ovem immolare: hi contra in victoria pacata Taurum sacrificabant: si vero pugnando vicissent, Gallum: quandoquidem ampliora magisque homine digna, quæ ratione atque prudentia, quam quæ vi atque corporis tantum fortitudine confecta essent, indicabant.

## LUCAS EVANGELISTA. CAP. XL.

*Bovis alati  
hierogly-  
phicum.*

**E**T quoniam multa sunt, quæ de pietatis nostræ institutis ad hanc faciunt doctrinam, quæ Christianorum conventus sanctionibus suis per imagines exprimenda concessere, ea nequaquam dissimulanda sunt, cujusmodi ea est, quæ per alatum Bovem Lucam Evangelii scriptorem ostendit, sive propter eam ipsam Tauri continentiam atque temperantiam, de qua facta est superius mentio, cum Lucas ipse castissimus ab ineunte ætate, ut fertur, fuerit, omnemque vitam egerit incorruptus, immaculatus, sine uxore, sine liberis, in cælibatu perseverans, nullum unquam Veneris usum noverit: sive propterea, quod per Vituli mysticum vultum, Christum nobis prædicat immolatum, quem David super altare prædicat imponendum, atq; mansuetudinem, quam præ se tulit Deus homo factus, testimonio suo literarum monumentis illustratam posteritati commendavit: sive quod à sacrificiis, vel à sacerdotio sumat, ut ait Eucherius, operis exordium. Ita enim scribit: *Fuit in diebus Herodis sacerdos nomine Zacharias*: quam interpretationem admittit etiam Irenæus.

## MANSVETUDO. CAP. XLI.

*Lib. 3.*

**Q**uamvis pertinet ad animalis istius mansuetudinem, Lucretius Poeta ita causas ejus reddidit:

*At natura Bovum placido magis ære vivit,  
Nec nimis inani sax unquam subdita percit  
Fumida suffundens cæca caliginis umbras:*

*Nec gelidi torpet telis perfixa pavoris,  
Inter utrosque sum est, Cervos, sevosq; Leones.*

Paulo vero ante, cum de varietate animi loqueretur, mansuetudinem hanc in aereis corporibus esse contenderat: & quia causas reddiderat, cur Leo incognabundus esset, cur Cervus timidus, non immemor naturam humanam rerum omnium species amplectari, sic subdit:

*Sic hominum genus est, quamvis doctrina politos  
Constituat pariter quosdam, tamen illa relinquit  
Natura*